

in futurum; ergo saltem talis lex, utpotè resistens, abrogari nequit per consuetudinem.

R. *Ad 1.<sup>m</sup>* Jura ista reprobant consuetudines debitis requisitis destitutas, ut quia sunt irrationabiles, nutritivæ peccati, legitimo tempore non præscriptæ, de quibus infra.—*Ad 2.<sup>m</sup>* Licet lex ista, stantibus circumstantiis ob quas consuetudo adversa legi prohibetur, non possit abrogari per consuetudinem, poterit tamèn in eo casu, quo mutatis circumstantiis, materia cohonestari potest in contrarium, cum eo casu etiam Legislator rationabiliter legem abrogare posset.

58. IV. *Quæ sit vis, et effectus consuetudinis immemorialis, seu cujus initii memoria non extat inter homines?*

R. 1.<sup>o</sup> Per eam acquiri possunt ea omnia, quæ privilegio et indulto principis concedi solent: nam talis consuetudo æquiparatur privilegio principis, et habetur loco tituli legitime constituti et probati. Ita Innoc. et alii com. Excipe consuetudinem contra immunitatem ecclesiasticam, cui jus perpetuo resistit, et const. Urb. VIII. *Romanus Pontifex*; et casum, quo quis sine privilegio non est capax possidendi, sicut laici jus decimandi, eligendi, in beneficiis confirmandi etc.—2.<sup>o</sup> Consuetudini immemoriali non derogatur per clausulam generalem: *non obstante quacumque consuetudine*, nisi illius specialis mentio fiat: tum quia talis consuetudo est speciali nota digna; tum quia pro illa præsumitur justus titulus, quo melior de toto mundo allegari non potest.

59. Q. V. *Quæ consuetudines, seu potius corruptelæ à jure reprobentur?*

R. 1.<sup>o</sup> Quæ juri naturali et divino, prophetis et apostolicis doctrinis contrariantur (*c. fin. h. t. Canon. fin. d. 8.*), uti sunt multi abusus gentilium, pharisæorum et hæreticorum.—2.<sup>o</sup> Consuetudo nutritiva peccati, ut illa *c. 10. h. t.*—3.<sup>o</sup> Consuetudo judicandi causas ecclesiasticas à populo, confirmandi baptizatos à simplici presbytero, non servandi interdicta, deferendi beneficia sine licentia Superioris, vel administrandi sine prævia confirmatione (*c. 3. 4. 5. 7. h. t.*)—4.<sup>o</sup> Consuetudo eligendi prælatos ecclesiasticos à populo (*c. 56. de elect.*)—5.<sup>o</sup> Deniquè reprobantur consuetudines, quæ gravant Ecclesias, lædunt immunitatem ecclesiasticam, dissolvunt nervum ecclesiasticæ disciplinæ, eliminant visitationes canonicas et obedientiam extinctivè, (præscriptivè enim visitatio ab uno Prælate ad alterum transferri potest, *c. 16. de præscr.*), aut alio modo obsunt bonis moribus, veritati, ac bono publico, de quibus passim in jure sermo redibit, (*c. 3. et seqq. de 8. C. 1. et 2. d. 12. c. 3. 5. h. t.*) In dubio de honestate consuetudinis, si hæc est præter legem, statur pro ea, quia est in possessione ex consensu populorum: si verò est contra legem, statur pro lege, quia honestas et rationabilitas legis est certa, et pro se habet possessionem certam.

60. Q. VI. *An consuetudo probanda sit ab allegante?*

R. 1.<sup>o</sup> Si notoria est, non indiget probatione, sicut in Germania lactiniis vesci die jejunii, missas in hyeme celebrare ante auroram, etc.—2.<sup>o</sup> Si notoria non est, probari debet saltèm per duos testes: nam consuetudo est facti, quod etiam sagacissimos fallere potest (*l. 2. ff. de J. et F. l.*); ergo

in foro externo ab allegante probari debet. At pro foro interno sufficit unus excellens scriptor testificans in scriptis suis de tali consuetudine, dummodò tales concurrant circumstantiæ, ut de ejus fide dubitari non possit, et alii DD. validius ei non contradicant; licet aliòquin unus doctor in foro externo plenè non probet, sed solam præsumptionem faciat.

61. Q. VII. *An consuetudo abrogari possit per legem, vel consuetudinem contrariam?*

R. Affirmativè, (*arg. l. fin. ff. de constitut. prin.*), quia jura posteriora contraria derogant prioribus. Particularis tamèn consuetudo non revocatur per legem, nisi id sufficienter exprimatur, (*c. 1. de Constit. in 6.*)

Hactenus de principiis generalibus Juris Canonici; nunc de personis ecclesiasticis, ut promovendis ad dignitates per viam postulationis, electionis, etc.

## TITULUS V.

### DE POSTULATIONE PRÆLATORUM. <sup>a</sup>

62. *Nota I.* Provisionem beneficalem in genere esse actum seu modum promovendi personam idoneam ad ministerium Ecclesiasticum. Hujus celebriores species sunt: *simplex petitio, nominatio, præsentatio, collatio necessaria* seu *institutio, collatio libera, postulatio, electio, translatio, et renunciatio in favorem alterius*.—*Simplex petitio*, olim usitata, est supplicatio populi poscentis sibi dari aliquem in pastorem, (*can. 11<sup>o</sup> etc. d. 63. c. 6 de stat. monach.*). Hodie non est in usu.—*Nominatio sollemnis* et propriè talis est, qua v. g. princeps tali jure præditus, saltèm duos excellentiores designat, et proponit Superiori, ut is unum eligat, et Ecclesiæ præficiat. Dignior autèm ex his ille censetur, qui primo loco ponitur (*arg. c. 6 de V. S.*) Hac tamèn nominatione nullum jus nominato acquiritur, donè Superior unum ex nominatis eligat. *Nominatio consultoria*, qua in collegio proponuntur quidam boni viri, ut de illis scrutinium fiat, non est obligatoria, sed capitulares alium eligere possunt (*cap. 28 de elect.*)—*Præsentatio* est actus, quo patronus clericum idoneum præsentat Superiori, ut cum in beneficio instituat. De hac agitur *lib. 3 tit. de jure patron.*—*Collatio necessaria* est provisio facta clerico ex necessitate juris ad alicujus nominationem, præsentationem, electionem, permutationem, vel mandatum Superioris—*Collatio libera* est gratuita concessio beneficii vacantis à legitimo Superiore facta. De his collationibus agitur *lib. 3 de præb. et institut.* De ceteris speciebus in hoc libro agetur.

*Nota II.* Postulationem hic non accipi pro *accusatione*, uti accipitur l.

<sup>a</sup>—De hac materia agitur in Sexto, et Extrav. com. h. t.—In Decreto can. et seqq. d. 61 et c. 14. d. 63 et c. 5. d. 71.

1. §. 6. ff. de suspect. tutor., nec pro advocacione seu patrocinio, quod advocati praestant partibus litigantibus, uti infra tit. de Postuland., et in Pandectis eod. tit.; sed pro petitione personae in praelatum ad Superiorem destinata: quo sensu *postulatio* est duplex: *solemnis*, et *simplex* seu *non solemnis*.—*Postulatio solemnis* est petitio capituli ad Superiorem destinata, ut is personam de se idoneam, attamen ob defectum canonicum ineligibilem, dispensative admittat ad praelaturam. *Postulatio simplex* est petitio personae de jure habilis in praelatum facta ei, cujus consensus requiritur. Sic requiritur v. g. consensus Praelati regularis, ut religiosus assumatur in Episcopum. Aliquando utraque concurrat, ut si filiusfamilias laicus postuletur in Episcopum, solemniter a Papa, et simpliciter a patrefamilias.

63. Q. I. *Qui postulare possint?*

R. Omnes illi, qui eligere (c. 4. v. ceterum h. t.); nam cui de jure ordinario vel ex privilegio conceditur electio, tanquam principale, etiam concessum videtur accessorium seu subsidiarium, uti est *postulatio* subintrans in locum electionis (arg. reg. 35. et 42 in 6.), ex quo solvuntur paritates ex reg. 15. et 28. in 6. c. 9. de privil. l. 1. §. 2. ff. de Constit.

64. Q. II. *Qui postulari possint, vel non.*

R. 1.º *Postulabiles* sunt solum laborantes defectu canonico *dispensabili*: hoc est, in quo potest et communiter solet dispensari. Tales defectus sunt:—I. illegitimitas natalium, c. 20. de elec.—II. defectus aetatis legitimae, c. 7. eod.—III. defectus ordinis, et scientiae excellentioris, c. 22. eod.—IV. defectus professionis ad praelaturam regularem, c. 23. eod.—V. vinculum spiritualis conjugii, quo Episcopus etiam titularis alligatus est suae Ecclesiae, a qua solvi non potest, nisi per Papam, c. 2. et in fin. de Translat. Horum defectuum alicui obnoxius, cum ineligibilis sit, non solum potest, sed et debet postulari, si evehendus est ad praelaturam, exceptis Episcopis titularibus, si provisi sunt indulto apostolico eligibilitatis.

2.º *Impostulabiles* sunt, qui laborant defectu *indispensabili*, hoc est, in quo vel non potest, vel communiter non solet dispensari. Et quidem:—1. de jure naturali *impostulabiles* sunt infantes, amentes, furiosi, et omnino illiterati, cum officium suum debite exercere non possint:—II. de jure Canon. *impostulabiles* sunt bigami, spurii, et ex damnato coitu nati, c. 10. de renunc. ibi: *personae vero*: Item temerarii violatores interdicti, et quos graviora crimina, praesertim infamantia, ab electione arcent., (c. 1. h. t. reg. 87. in 6.) Minores 27 annis ad Ecclesiam cathedralem, (Extrav. un. h. t. inter com.); denique religiosi mendicantes ad Ecclesiam cathedrali inferiorem, vel ad praelaturam extra suum ordinem, cit. Extrav.; cujus dispositio, utpote odiosa, non est extendenda ad alios religiosos non mendicantes, licet privilegiis mendicantium gaudeant.

65. Q. III. *Quam poenam incurrant postulantes personam defectu indispensabili laborantem?*

R. 1.º Pro hac vice ipso jure privantur potestate postulandi et eligendi (c. 4. h. t. ibi: *licet autem*.); nam recte quis in eo punitur, in quo peccat (c. 7. §. fin. de elec.)—2.º Qui temere postulant, hoc est, renovant postulacionem indigni, licet ignorent ejus indignitatem, pari poena puniuntur, et potes-

tas eligendi vel postulandi devolvitur ad eos, etiam paucos, qui in iteratam postulacionem indigni non consenserunt, sed contradixerunt (c. 2. h. t.)—3.º Scienter postulantes minorem 27 annis ad episcopatum, vel religiosum mendicantem ad dignitatem episcopatu inferiorem, pro hac vice privantur potestate postulandi et eligendi, ac per triennium suspenduntur a beneficiis ecclesiae, ad quam postularunt; si vero postulati urgeant negotium suae postulacionis, decernuntur *impostulabiles*, (cit. Extrav. un. h. t. inter com.)

66. Q. IV. *Ad quem superiorem postulatio sit dirigenda?*

R. Ad quem alias spectat confirmatio praelati electi, dummodo dispensare possit in impedimento postulati (arg. c. fin. hoc tit.); nam admissio postulacionis vim confirmationis habet. Superior autem, licet ex rigore justitiae non teneatur postulacionem admittere, cum ista innitatur gratiae, nullumque postulato jus tribuat (c. 5 h. t.), tamen ex aequitate et debita sui officii administratione tenetur eam admittere, si adsit justa causa postulandi, ut necessitas vel magna utilitas, quae speratur Ecclesiae obventura ex persona postulata.

67. Q. V. *Quae sit forma postulacionis?*

R. 1.º *Postulatio simplex* cum sit vera electio, hujus formam servat (ex c. 42 de elect.), idque solum additur, ut petatur consensus superioris, vel ante electionem, ut subditus eligi, vel post electionem, ut huic consentire possit.

2.º *Postulatio solemnis* habet eandem formam cum electione (ex cit. c. 42 de elect.) quoad ea, quae naturae postulacionis non adversantur. Ita Inn. Abb. Shmal. et alii contra Host. Laym. Reiff., juxta quos sufficit consensus capitularium, saltem majoris partis, et aliqua publicatio, licet decretum et alia non adhibeantur.—Prob. 1.º Arg. reg. 46 in 6., subrogatum sequitur naturam ejus cui subrogatur, nisi specialem formam praescriptam habeat; sed *postulatio* subrogatur electioni, tanquam ejus subsidiaria, et in jure specialem formam non habet; ergo sequitur formam electionis, cum non sit credibile, quod jus formam istam reliquerit arbitrio postulantium.—2.º *Connexorum* et *aequiparatorum* eadem est juris dispositio per cap. 3 de Constit., maxime si unum subintret in locum alterius, et in eundem finem tendat; sed *postulatio* aequiparatur electioni, ei frequenter connectitur, et miscetur in eodem scrutinio, ad eundem finem tendit, et ubi electioni non est locus, in ejus locum subintrat; ergo. Ita manifeste supponitur in c. 1 et seqq. h. t. et c. 20 de Elect. Ex his solutae manent paritates a testamento et codicillo, ab adoptione perfecta seu arrogatione, et simplici (l. 2 ff. de adopt.), a manumissione, vindicta, et inter amicos (§. 1. In. de Libert.), a superiori ad inferius, ab expresso ad omissum, a possessorio plenario et summario etc.; nam in his, vel diversae formae sunt a jure proditae, vel non currit illa ratio, quae pro postulacione et electione.

68. Q. VI. *Quis votorum numerus requiratur ad validam postulacionem?*

R. 1.º Si *postulatio* concurrat cum postulacione, sufficit majoritas vo-

torum, v. g. sex ex decem., nam idem servatur in electione.—2.º Si postulatio concurrat cum electione, ut illa prævaleat, debent duæ partes ex tribus in postulandum concurrere, ut 16. ex 24.; secus prævalebit electio, si electus pro se habeat saltèm unum votum supra tertiam partem, v. g. 9 ex 24., ejusque electio confirmanda est. Ità communior sententia DD. *ec. c. Scriptum 40 de Elect.* in quo Innoc. III condit jus speciale exceptum à dispositione *c. 42 eod.*; alioquin caput istud superfluum esset in jure. Ratio congruentiæ est, quia ad postulationem, utpotè viam extraordinariam et odiosam, meritò plus requiritur, quàm ad electionem ei permixtam, utpotè favorabilem. Et pro hac sententia stat praxis curiæ romanæ: nam Innoc. XI *an. 1688 die 20 Sept.* in judicio appellationis rescidit sententiam latam pro Cardinali Furstembergio, Episcopo Argentoratensi, per 13 vota ex 24 postulato ad Archiepiscopatum Coloniensem, et confirmavit electionem Clementis, Bavaræ ducis, per novem vota ex 24 electi.—Nec obstat textus *citat. c. ibi: et si partes consenserunt*; nam consensus iste partium referendus est ad priora circa jus suffragandi, non verò ad ultimam partem dispositivam à Papa factam. Ità glossa major, quidquid dicat glossa anterior. Nec etiàm generales dispositiones obstant *c. 3. 5. h. t. c. 30 et 42 de elect. c. 4 de his quæ à major.*; nam his prævaleat specialis dispositio expressa in *c. 40 de elect.*

69. Q. VII. *An rejicienda sint vota incerta et indeterminata?*

R. Affirmative; et ideò Bonif. VIII (*cap. un. h. t. in 6.*) rejicit illas formulas: *eligo postulandum, postulo eligendum, postulo et eligo, prout meliùs de jure valere potest.* Quæ ultima formula permittitur in casu probabilis dubii, an persona sit eligenda, an postulanda, v. g. propter defectum ætatis, natalium etc.

70. Q. VIII. *Quis sit effectus postulationis?*

R. 1.º Postulatio ut præsentata superiori, id operatur, ut postulantes ampliùs variare, seu ab illa resilire non possint (*c. 4 h. t. ibi: si enim*), ne scil. superiori illudatur, ejusque judicium ex postulantium arbitrio pendere videatur. A sensu contrario, si postulatio actu non sit præsentata, locus est variationi, cum postulato nullum sit jus quæsitum (*c. 5 h. t.*)—2.º Postulatio ut admissa à Superiore, vim habet confirmationis, et jus reale in prælatura tribuit postulato (*cap. 2 h. t.*)—3.º Postulatio simplex, ut admissa tribuit licentiam subdito, ut electioni de se factæ consentire possit. Talem licentiam à Papa obtinere debent Cardinales non Episcopi, quia ex officio suo sunt subjecti Papæ in ordine ad regimen totius Ecclesiæ (*cap. 57 de elect.*) Prælati et alii Clerici Episcopo inferiores à suis superioribus, si quibus subjecti sunt (*c. 36 de elect. in 6. Clem. un. eod.*)

Cetera ferè omnia servanda sunt sicut in electione, v. g. quod postulatio intra octo dies præsentanda sit postulato, et is intra mensem mentem suam aperire debeat, an postulationem acceptet, putà conditionatè, si superior eam admiserit, neque interim se administrationi immisceat etc.

## TITULUS VI.

DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE. <sup>a</sup>

71. Nota. I. Electionem hic non accipi latissimè pro quacumque provisione ad beneficium ecclesiasticum, quo modo comprehendit præsentationem, collationem etc.; nec pro quacumque provisione, quæ fit cum interventu suffragiorum, quo modo alicubi decani et alii officiales solent eligi; sed strictè pro provisione suffragativa ad dignitatem pastoralem vacantis Ecclesiæ. Quo sensu electio est: *Personæ habilis canonica vocatio ad vacantis Ecclesiæ dignitatem pastoralem per vota capitularium facta, et per superiorem confirmanda.* Ità in re com. ex *c. 7. et 42. h. t.* Ex qua definitione patet discrimen inter electionem et postulationem: nam postulatio est provisio extraordinaria, seu subsidiaria personæ de jure impeditæ, innititur gratiæ, et ideò dicitur admitti, nullum tribuit jus postulato, isque non potest in illam consentire, nisi sub conditione dispensationis: electio verò est provisio ordinaria personæ de jure habilis, seu nullo impedimento laborantis, innititur juri, et ideò dicitur confirmari, electo tribuit jus ad rem, et electus absolutè in eam consentire potest. In ceteris plerùmque conveniunt, quia utraque per eandem formam tendit ad providendum sedi vacanti.

Nota. II. Primitùs Episcopus electos et constitutos fuisse ab Apostolis (*c. In novo 2. dist. 21.*), tum à Romano Pontifice (*c. Omnes 1. d. 22.*), deinde à toto clero cujusque diocesis (*c. fin. Qui in aliquo d. 51.*); tandem aucto clericorum numero, ad vitandas confusiones et discordias, jus eligendi attributum est capitulo cujusque Ecclesiæ (*c. fin. 16. q. 7. cap. Nullus 4. h. t.*) Est autè capitulum, plurium clericorum collegium, qui sub uno prælato tanquam membra sub uno principali capite vivunt; alioquin, si sub uno capite non viverent, non communitas, sed singularitas esset. Ad constituendum capitulum seu collegium, à principio requiruntur saltèm tres (*arg. l. 40. in fin. ff. de V. S. ibi: ne duo quidè familiam faciunt; et l. 85. eod. Neratius Priscus tres facere existimat collegium.*) Pauciores tamèn requiruntur ad conservationem collegii. Et quidè, si duo supersint, manet collegium actu, sed imperfectum; si unus superest, manet collegium habitu, non actu; si nullus supersit, jura realia collegii manent in parietibus, vel his dirutis, in solo et fundo. Laym. et alii. Cetera de capitulo traduntur in *lib. 3. tit. 11.*

Agetur hic:—1.º de personis eligentibus et eligendis:—2.º de forma et

<sup>a</sup>—De hac materia agitur in Sexto, in Clem., in Extrav. Joan. XXII. et Comm. h. t.—In Decreto *dist. 60. 61. 62. 63. 69. et 1. q. 6. et 8. q. 1. 2. 3. et 18. q. 2.*—In Trid. *Sess. 7. cap. 1. de refor. Sess. 22. cap. 2. Sess. 24. cap. 1. et 12. Sess. 25. cap. 6. et 7. de Regul.*